Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

feri uiri fidelis uerbum dei predicaret.
audiuit eum attente inter ceteram uirginitatem
et castitatem precipue commendantem. Predican-
te itaque paulo in domo honosiferi uirgo
tecla que desponsata erat thamiro.
sedens ad fenestram audiebat eum die
ac nocte non recedebat a fenestra. sed
fide replebatur. Et quia uidebat mul-
tas mulieres intrantes ad audiendum
paulum. cupiebat et ipsa digna fieri
ut intraret et audiret uerbum. Nondum
enim figuram pauli sciebat. sed uerbum eius
audiebat. et amore uerbi ita tenebatur.
ut non recederet a fenestra. Mater autem eius
theoclia misit ad thamirum. qui statim
uenit gaudens quasi eam acciperet in
uxorem. Cui teoclia dixit. Nouum uerbum
habeo tibi dicere thamire. Tres enim dies
sunt et tres noctes quod tecla a fenestra
non recessit neque ad manducandum
neque ad bibendum. sed intuetur quendam
hospitem peregrinum. qui docet inania uer-
ba. Hic homo ycomiorum ciuitatem
subuertit. et etiam teclam tuam. Omnes
enim mulieres et iuuenes intrant ad eum.
ut discant unum deum colere et caste uiuere.
et tecla filia mea ad fenestram uerbis
eius alligata tenetur. Sed accede
ad eam et loquere cum desponsata tibi.
Cum autem accessisset ad eam dixit ei.
Tecla michi desponsata quid agis.
et que te uoluntas tenet. Conuertere
ad tuum thamirum. Mater quoque similiter
dicebat. Filia tecla thamiro desponsa-
ta. quare sic facis ut nemini respondeas.
sed sic muta taces. His dictis tecla
non est conuersa ad eos. sed intuebatur
uerba et doctrinam pauli. Thamirus
autem ira plenus exiuit in publicum. cepit
que obseruare intrantes ad paulum. et

uidit duos uiros exeuntes quibus
dixit. Dicite michi quis est hic homo qui
animos iuuenum et uirginum prohibet
ne nubant. Dabo enim uobis multam
pecuniam. cum primus sim ciuitatis huius.
Cui dimas et hermogenes fallacia
pleni. qui prius fingebant se amare
paulum dixerunt. Hic homo affirmat
iuuenibus ut caste uiuant. et non coin-
quinent carnem suam. Perduxit autem
eos thamirus in domum suam et ait il-
lis. Multum affligor propter teclam sponsam
meam. quia fraudor a nuptiis eius
propter doctrinam hominis istius. Dimas
autem et hermogenes dixerunt thami-
ro. Perduc eum ad presidem cestilium
sicut seductorem populi. et dic eum christianum
esse. et secundum decretum senatus perdite eum.
et habebis uxorem tuam teclam. Tunc
thamirus hec audiens repletus est zelo
et ira. et mane surgens abiit ad do-
mum honesifori cum turbis et principibus
ciuitatis dicens. Procede foras in-
postor. corrupisti enim ycomiorum ciuita-
tem. et sponse mee tecle uetuisti ne
uellet nubere michi. Eamus igitur ad presidem
cestilium et ad tribunal eius. Omnis uero
turba clamabat. Duc magum. tolle
maleficum. exterminauit enim uxores
nostras. Stans autem ante tribunal tha-
mirus. cum magno clamore cepit dicere.
Proconsul. hic homo non patitur uirgines
nubere. Dimas autem et hermogenes
dixerunt thamiro. Dic eum christianum esse
et celerius peribit. Proconsul autem uo-
cans paulum dixit ei. Non leuiter
te accusant isti. Tunc paulus leuauit
uocem suam dicens. Audi proconsul quod
ego doceam. Deus uiuitatis ad salutem homi-
num misit me. ut a corruptela et in-